

certum usque locum portabat, ita crescente vituli pondere, crescebat insensibiliter quoque robur Milonis : Donec ad extremum grandem taurum in Olympicis ludis, spectante totâ Græciâ, gestavit. Eâdem ratione possit & ars bibendi disci, si mensura quot-septimanis per vitra augeatur. Ita conjecit Gallus ille, qui cum in Acidulis Sualbacensibus cerneret Germanos aquæ bibendæ magis magisque continuâ auctione assuescere; credidit hunc esse ludum potatoriû, eine Sauff-Schule / ubi Germani in aqua discant, quod in vino sint præstituri. Infantes quoque à literis per syllabas ad voces tandem legendas veniunt; & in Arithmeticis quantò magis numeri sinistrorsum recedunt, tantò magis in decupla ratione crescunt. De gradibus repetitionis vide quæ §. 13. diximus. Idem in oratione aliqua verbotenus ediscenda commodissimum : Si primò recitetur primum comma, deinde primum & secundum, denique primum secundum &

A 5

tertium